


C A P M E N  
DE LAPSV ET  
REPARATIO  
NE ADÆ

AMPLISSIMO SE  
NATVI REIPVBLICÆ CASLA  
VIENSIS, ET NOTARIIS  
ejusdem Reipub. industrijs  
adscriptum

à  
Ioanne Hubecio Caslavino Collegii  
Reginz alumno.



LECTORI.

**C**orpore mens potior, vestitu ut corpus habetur :  
Sic ratio, quam artis, major habenda DEI est.  
Laud utriq; suavit : meditatur at ordine tempus :  
Partus honos homini est tempore parva salus.  
Ergo qui huic opere vel fraude vel arte resistat  
Si tempus re, rem tempore fini habet ?  
Lapsus sub causâ redolens, sub sine salutem :  
Nec sine dispendio verbaq; resq; cadunt.  
Quicquid at est, iudex, ut res ita pondera rerum  
Iudices, extracto pondere, certus erit.

Iohan: Math: Zeketavinus.





CAMPANVS HVBE  
CIO SVO.

Ante tuo tripolin memorasti carmine PRAGAM,  
HVBE CI, doctum nate sonare melos:  
Aspera primævi tibi nunc dicuntur Adami  
Fata, quis huc illinc crederet esse viam?  
Causa subest: homini lapsam qui restituit rem,  
Hac satus est olim virgine matre die:  
Hac sua jure tibi memorantur dona, tuusq;  
IANE, labor laudem cur mereatur, habet.  
Perge Maroneo deducere carmina plectro,  
Perge sacris, vates, neetere sacra modis.  
Sic tibi dent superi, quos tu cœlestibus, annos,  
Lectoriq; tuus lectus ametur ADAM.




1997 KK 69  
AKC. 16. 21

QVum luctus hominis vagos

Primi commemoras, tabificam luem  
Pandjs, ve misero meum  
Raptat præcipiti cor dolor anxium  
Cura, ceu boreas levem  
Ventorumque Pater turbine pulverem!  
Qvum cætu in celebri canis  
Vt casus famulis demerit improbos  
Immortalis amor DEI  
Fervens lætitiâ cor mihi dissilit,  
Qvum magni sobolis Iovis  
Cervicem roseam membraque cerea  
Laudas, quumve torun sonas  
Infantis gracilis, qui stygij Ducis  
Rupit vincula ahenea  
Exoluitque suos: pectore libero  
Gaudere Abramadis dedit,  
Et justa Ifacidas læticia imbat,  
Vexantumque opis indigos  
Fregit sævitjam vindice dextera,  
Tunc nec mens mihi nec color  
Certa sede manent, humor, & ingenas  
Furtim labitur arguens  
Qvam Diâ materia peritus ardeam.  
Vror sive animum anxius  
Demirror pueri, seu fremitum poli,  
Seu perfusa reconditz  
Dulci lætitia pectora virginis  
Seu sensus animi indices  
Figentes memores ore labris notas.

A 2

Non,



Non, me si satis audias  
Crantorem melius dicere dixeris  
Partus virgeneos, neque  
Ipsam Melpomenen, cui liquidam patet  
Vocem cum cythara dedit,  
Ergo Pierio Castavium choro  
Spes portusque fave, tuis  
Ne spernas meditantem pium honoribus  
Carmen, sidera dum polus  
Pascet, gramina donec juga montium  
Et sylvas coma vestiet  
Laus, nomenq; vicens semper erit tuum.

I. S. C.

### DIALOGISMVS OPERIS

dedicationem continens.

**Q**uo te Musa pedes? quas te via ducit in oras?  
An nocet in Domini delituisse sinu?  
Sæpius obscuris iuvat occultasse sub umbris,  
Vive tibi, & patriæ te iuuet esse domi.  
Falleris, an quisquam tutores nactus amicos  
Occultus cæca nocte latere potest?  
Tecta saluto igitur, quondam quibus ætheris haustum  
Libabas, hoc me tuta recondo sinu,  
Hic mihi tutus erit portus, statioque benigna.  
Ecquis erit tandem qui neget ista mihi?  
Non mihi Mars canitur quo sparsa sanguine tellus  
Phlegra Giganteo, nec salebrotus Athos  
Lata sed ad cunas geminos qui dicitur ortus  
Sortiri INFANTIS pollice tango chelyn,  
Cætera si querant, dum me factumque videbunt  
Forte sciant tantum hæc me meminisse sat est.

Interea, quod abesse puto, felicior annus  
Prodeat exorients ore priore canam,  
At jam Castaviæ latus inviso recessus  
Ut feram honoratis scripta legenda viris.

**S**acra, virūq; cano: cæli qui primus ab oris

Egrediens, tandem fato terræ aspera venit  
Littora, multum ille & terris jactatus & Orco  
Vi superum, summi memorem Genitoris ob iram  
Multa quoque & Solymis passus dum conderet aras  
Inferretque sacros ritus, & iussa PARENTIS.

Musa mihi causas memora, quo crimine læsus?  
Quidve dolens Divum Genitor tot voluere casus  
Insignem pietate virum tot adire labores  
Impulerit? tantæne animis cœlestibus iræ?

Vrbs antiqua fuit multos dominata per annos  
Euphrata, quam V etæri Bethlam cognomine dicunt,  
Magnus ubi quondam lucis primordia Vates  
Hauferat, & superis animam benè reddidit oris.  
Dives opum & populi, studiisque asperrima cœli,  
Iuppiter hanc fertur terris magis omnibus unam  
Posthabitis coluisse aliis, hic illius aræ  
Hic cultus fuit, hanc urbem post omnibus oris  
Prætulit, & magno parvam insignivit honore,  
Illius hæc NATVS nostros mutatus in artus  
Prodiit æthereas de Virgine natus in auras.

Atque ego si prima repetens ab origine pergam,  
Virgineique vacet partus evoluerè causas,  
Horribilesque Patris primævi exponere casus,  
(Quamquam animus meminisse horret) durosq; labores  
bis geniti Regis tenui comprehendere versu:

Ante diem clauso componet vesper Olympo  
Præfeti Legum, sunt longa exordia, longæ  
Ambages, sed summa sequat fastigia rerum.

Iam pater omnipotens rerum qui flectit habenas  
Terrasque tractusque maris, cœlumq; profundum  
Et rerum varias facies, genus omne volantium,  
Pinnatasque fovet vasto quas æquore pontus  
Et ~~pecudum~~ pecudum turmas produxit semine nullo:  
Talia pacato sub pectore dicta volutat:  
Ecquid adhuc terræ gentium sub imagine nostra  
Fingimus? æternum felix qui vinceret ævum.  
Servitioque premat pecudesque ferasq; furentes.  
Nec mora, corripuit glebam, frangitque premendo  
Et subito nova forma viri (quis crederet?) altos  
Erigit ad cœlum vultus, discitque vocare  
In sua vota DEOS, ipsisque simillimus esse.  
Cui genitor ductum terræ de nomine nomen  
Imposuit, (fati tunc haud ignarus) Adami  
Illius aspectu monstra obstupescere marina  
Et caudis pecudes blandiri, & voce volucres  
Cernere erat cassas, nam clara in luce resulsi.  
Os humerosque DEO similis, cuiq; ipse decoram  
Cæsariem rerum Genitor, lumenque Inventæ  
Purpureum, & lætos oculis afflavit honores.  
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo  
Argentum, Partusve lapis circumdatur auro.  
Cervicem ingreditur sublimis apertus honestam.  
Membra nitent, nitet oris honos, it corpore toto  
Divinum decus, & multo splendore coruscat,  
Qualis gemma micat fulvum quæ dividit aurum,  
Inclusum buxo, aut Oricia Terebyntho  
Lucet ebur: molli & subnectit circulus auro:

Mox leo quadrupedum princeps sua nomina, cervus  
Deinde pedum melior motu, & prævertere doctus.  
Molestitate leves auras, quem & quæque morantur  
Murmura sæcundus lepus, & qui vulnere frendet  
Versus ab accepto, Sonipes, firmæque capellæ  
Et quem tarda ferunt vestigia tardus a fellus  
Sortitur, sequiturque lubens, & tentat herilem  
Dum rotat in gyrum caudam; blandisque salutat  
Principis æthereas nuper sub luminis auras  
Motibus educti mentem, atque hoc lætus alumno  
Expleri mentem nequit ardescitque tuendo.

Iamque suis totus constabat partibus Adam  
Imperioque habilis, plenis cui legibus orbis  
Subjiciendus erat, sed ne Pater optimus illum  
Qui mare, qui terras & cœli sustinet orbis  
Imperij sineret frænum tot millibus vnum  
Injicere, (& partes nequit vnus tendere in omnes):  
Addidit huic comitem, ut paribus vestigia curis  
Virgo viri premeret, regnique in parte locata  
Ingentes magnum sub leges mitteret orbem  
Vix viri arbitrio, & quicquid decernat, id ipsa  
Impigra (sæpe moræ perdunt) sequeretur amica.  
Interea Iuvenem fessum sopor altus habebat  
Cum Genitor rerum haud improvidus omnia tentat.  
Atque animum prudens in partes dividit omnes  
Materiem quærens, avulsam ex ossibus vnam  
Arripuit tandem Plastes cum nata repente  
Os humerosque gerens, & lumina blanda lacertosque  
Emicuit, subito pulchra sub imagine Divum  
Virgo novum genus, & socio solamen amico  
Ipse parens, EVAM structuræ, nomine dicit.  
Ille citus somno se liberat, hæret in ore

Vox operæ ignari stupefactus imagine rerum  
Quid faciat dubitat, nec quo se vertere cernit  
Audeat, ut quondam tonitru cum raptâ corusco  
Aut velut immisis urbs cum ruit hostibus omnis  
Vulcanoque furente ignes, flammæque citatæ  
Culmina perque hominum volvuntur perque Deorum,  
Tunc stupet attonitus civis, stupet incola rerum  
Ignarus, donec subito orta pericula cernat  
Amisamque vocet mentem: sic se ille ferebat  
Attonitus, raptam donec formidine mentem  
Occupet, & laxis laterum compagibus ossam  
Excisam inveniât, lux tandem reddita menti est,  
Namque acies postquam per singula voluit Adamus  
Virgo novam ostentans faciem, formæque decorem  
Prodit, & in socium castè prolapsa ruebat,  
Mentem animumque DEO similis, coma vertice ab alta  
In nodum collecta pedes defluxit ad imos,  
Divûm mentis opus, collucent corporis artus,  
Intemerata nitent divinæ virginis ora,  
Argumentum ingens operis sic luce refulget:  
Oceanus qualis perfusus lucifer unda  
Quem Venus ante alios Astorum diligit ignes  
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque fugavit.  
Quam simul ac oculis hausit, sic ora resolvit:  
Nimirum orta est tu nostris ex ossibus vna  
Huc ades, inque sinus nova Nympha relabere nostros.  
Imperii cape fræna mei, mecum utere donis  
Quæ posuit tandem Divûm pater, atque hominum rex.  
Sic ait, & donis & tantâ lætis alumna  
Expleri nequit atque oculos per singula voluit.  
Miraturque interque manus & brachia versat,  
Nunc flavos crines nunc membra decora juventæ

Purpureos vultus, & gratum frontis honorem  
Fulgentesque genas, qualis cum cærulea nubes  
Solis in ardescit radijs longeque refulget.

Interea GENITOR spirantes floribus hortos  
Elysijsque sinus, & amœna vireta parabat  
Quæ colerent, caperentque olim solamina vitæ.  
Quæis genus omne avium inclusit, quæis flumina factis  
Condiderat fossis, immunem à funere vitam  
Imperiumque dedit sine fine, ducesque vocavit  
Qui mare qui terras omni ditioe tenerent.

Arbor erat posita in medio, in penetralibus altis  
Sacra comam, totos vmbra complexa penates  
Imperijs cunctos Divûm servanda per annos.  
Quam neque fas telis, nec ferro excindere, flammis  
Nec positis exurere erat, vel tempore fructus,  
Carpere maturo, nimirum ex omnibus vna  
Magne Deûm ante alias Genitor tibi sola dicata est.  
Ergo ubi disposuit varios longo ordine ramos  
Herbarumque genus, tum sponte virescere iussit  
Gramina, tellurem magnos producere acervos  
Frugis inexpertam rastris, aut vomere adunco  
Talibus usus ait: tanto haud indigna decore  
Progenies cœli quondam ventura sub axem.  
Hæc cape dona mei monumentum & pignus amoris,  
Vt tere muneribus nullum quæ finiet ævum,  
Quasque meæ fecere manus, tibi tendere dextras  
Cogantur famulas pecudes, & iussa facestant.  
Hæc vobis propriæ sedes, has Iuppiter ipse  
Svadet, & æternam promittit ducere vitam.  
Nec tibi frigeant effetæ in corpore vires,  
Ast juvenile decus juvenili in corpore vobis

B

Semper

Semper erunt, nunquam fatali funere metfos  
Accipiet tellus, nec me sententia vertit.  
Nostra tamen ne iussa abeant male sparsa per auras.  
Ingredere hos nemorum lucos, saltusque superbos  
Arboribus, per te genus onne errumpat in auras  
AEtheris, & numero cœli ignea sydera vincat.  
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem  
Invertere, virum & nunquam seges horruit hostis.  
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas.  
Bis gravidæ fruges, bis pomis utilis arbos.  
Et rapidi tygres absunt, & sæva leonum  
Semina, nec miseros fallunt aconita legentes.  
Nec rapit immensos orbis per humum, neque tanto  
Squameus in spiram tractu se colligit angvis.  
Præterea hæc repetens iterumque iterumque monebo.

Est ARBOR medio quædam mea consita luco  
Quæ fortis late ramos, & brachia tendens  
Huc illuc media ipsa ingentem sustinet umbram.  
Hanc fuge, ne sacram submota excinde favilla,  
Aut ferro temerare animum subeat, neque fructus  
Vellere, non fas est aliena ex arbore germen  
Fædatum arripere, ut proprios referatur in usus.  
Nec tibi tam prudens aliquis per svadeat autor.  
Mox varix illudent pestes, tibi futilis autor  
Imponet, varia invisus sub imagine rerum.  
Tu nê cæde illi sed contra audentior ito.  
Si mea dicta negas duras demittere in aures:  
Omnia pulsa retro vertique regique videbis.  
Et labor & duri premet inclementia fati  
At dictis maneat, & nil temerarius aude.  
Hæc meminisse sat est, at nil mortalia terrent  
Pectora, projectæ nostro de pectore voces.

Fata obstant, errorque viri malus obstruit aures  
Dixerat hæc Genitor, factoque hic sine quievit  
Et placidum omnipotens cœlo caput abdidit alto.  
Ast illimemores dictorum hæc luce Tonantis  
Ad patrios tendunt gressu haud remora penates.  
Impigri, & tantis læti successibus, horti  
Undique contemplantur opes, nunc brachia frondis  
Mirantur, gemina atque quater fluvij ostia Pisi,  
Mirantur Divum ramos & non sua poma.  
Poma manu attractanda minus, nam nuncia lethi  
Læsa forent, turpisque famis, tremulæque senectæ.  
Vix tamen abstinent sacro de robore fronde  
Pendente, ast illam absentem prænsatque videtque,  
Mirantur quoque mæsta tuum scelus Attica pellex  
Deflentem, & justis te vindicis ora petentem.  
Hinc ubi digressi lumenque obscura vicissim  
Luna premit, suadentque cadentia sydera somnum.  
Alter in alterius castis amplexibus hæret.  
Mutuaque adnixo (quid dulcius) oscula figunt  
Concordes vultu, QUID TANTO lethifer Adam  
Successu te tollis ovans, multumque superbis?  
Quid sis quid fueris, mox altera proferet hora.  
OMNÈ adeo fragile est standi mora libera nulla.  
Dum loquimur certi fati imminet alta ruina.  
Dum studia exequimur sortis, mors horrida tristes  
Vellicat à tergo, & cæco res turbine ver fat.  
Res incerta quibus certam fert hora ruinam.  
Ac veluti brumâ Maius cum fervidus æstas  
Reddit opes veris, flores & gramina surgunt  
Et pulcrum extantat faciem herbæ prodiga fellus  
At vix Oceani Phœbus lavat æquore currum

Lubrica cum pereunt subito rapida ocuis vnda,  
 Talis vita hominum: sed nos ad cæpta feramur.  
 Iamque rubescebat radijs mare, & æthere ab alto  
 Aurora in roseis fulgebat lutea bigis  
 Cum GENITRIS opes quarum data plena potestas  
 Adamo, Sociæque thori, formosus omne  
 Pingebant nemus, & florum sua prodiga tellus  
 Lilia fundebat nullo suadente sub auras:  
 Cum simul æthereis excussus nuper ab oris  
 Lubrica sublato convoluens pectore terga  
 Improbus infernis sese extulit angvis ab antris,  
 Fraudibus exultans, & luce coruscus aëna.  
 Tristius haud illo monstrum, nec sævior ulla  
 Pestis, & ira Deum stygiis sese extulit vndis.  
 Cui bella, infidix, cui noxia crimina cordi,  
 Odit & ipse pater Rex Divum, odere superni  
 Cœlicolæ monstrum tot sese vertit in ora,  
 Tam sævæ facies, tot pullulat insuper audax  
 Fraudibus, atque odiis. Dij talem avertite pestem  
 Et placidi servate pios. Quæ fata Parenti?  
 Et natis natorum & qui nascentur ab illis  
 Intendet serpens scelerum ex hortatur & autor?  
 Namque vbi se stygiis fallax erupit ab oris  
 Continuo saltus, & amica habitacula lucos  
 Omnia transformans sese in miracula rerum  
 Ibat, & in sacra confederat arbore pestis.  
 Adglomerant male suada fames, & turpis egestas,  
 Pallentesque ruunt morbi, tristisque senectus,  
 Terribiles visu formæ, lethumque laborque,  
 Luctus, & vltices curæ, metus, & fera belli  
 Crimina, sunt comites letho sopor, & mala mentis  
 Gaudia, & Evmenidum turmæ, & discordia demens.

Vi pereum crinem vittis innexa cruentis.  
 Multaque præterea variarum monstra ferarum:  
 Quas Erebi è latebris fatalis traxerat angvis,  
 Et multo nebulæ circum vndique fudit amictu:  
 Nectere ne quis eum fraudes præsentiat vllas.  
 Dij prohibete nefas, Dij talem avertite pestem.  
 Et placidi servate pios, jamque igneus orbem  
 Sol medius cœli ascendit, cum gratior herba  
 Est pecori, arescunt multo cum gramina ab æstu,  
 Cum prior ELYSIOS campos, sacrosque penates  
 Fæmina prima mali labes (o fata) petebat,  
 Nunc animus meminisse horret luctuque refugit.  
 Heu mihi quid te nunc sub aperta pericula mittis?  
 Fæmina? ne lucos pete fraudis nescia cæcæ  
 Exitis ne pone locum, latet angvis in alta  
 Arbore, quam temerare nefas, quamque ipse supernæ  
 Cœlicorum Rex, dira, domus sibi vendicat vnam.  
 Qui te cunque manent isto discrimine casus  
 Et anos crede manent, ramos ab iste sacros  
 Fædare, & cultas hac luce revisere frondes.  
 Fata obstant errorque EVÆE malus obstruit aures.  
 Dij prohibete nefas Dij talem avertite pestem.  
 Et placidi servate pios. Iamque arva salutat  
 Aurea, Virgo audax jam nos infata nepotes  
 Trudit, & invisos (miserum) sub tartara mittit.  
 Miraturque horti frondes, & flumina læta.  
 Suspicit ante alios alieno in vobore fætus,  
 His oculis demens, hic mente & pectore in hæret  
 Et ni magna Deum conceptum pectore iussa  
 Amoveant scelus, & jubeant abistere morsu,  
 Auferat, & superos ramis de fraudat amicis.

B 3

At

At pulchra obscurus latitabat in arbore serpens,  
Monstrū horrendū, in forme, ingens, cui limen adeptū  
Athereum, summaque datum male reperere terra  
Nec dictu facilis, nec visu affabilis ulli,  
Nec mox agreditur, nec cæca fraude morantem  
Occupat, at tandem fluitantem hinc inde superbus  
Molliter affatur, blandoque immurmurat ore.  
Felices nimium tali quos magnus honore  
Iuppiter, atque sui dignatus parte locare  
Impersi, totumque dedit sub legibus orbem  
Exercere suis, o terque quaterque beatos.  
Quos iuvat hic blandam lætos producere vitam.  
Hic ver perpetuum, vobis injulā virescunt  
Gramina, quin etiam (tantis quid lætius hortis)  
Agminis aligeri vobis turba obstrepit ingens.  
Et lucem, & seras agere inter gaudia noctes  
Vos iuvat, & blandos semper committere ludos.  
Nos styx atra manet, viduataque lumine testā  
Turbidus & cæno vastaque voragine gurgēs  
Aestuat intus, & horrificis sonat ima ruinis  
Regia, & informem prorupit ad æthera nubem  
Turbine fumantem piceo, & candente favilla.  
Inque alia ex alijs pænarum dira vocamur  
Supplicia, & demto sine obiectare periculis  
Cogimur invisum caput, & iuvat ire per imas  
Umbrarum sine sole domos, pæna horrida pæna  
Nos manet, & ventura premet, nam multa subinde  
Terribili monitu horrificant prædicta Deorum.  
At vos nulla pari vexant discrimina sorte  
Vnum illud tibi virgo potens, præque omnibus vnum  
Eva deest, mihi siqua fides, prudentia vati  
Si qua novo est, veris animum si Numina complent:

Nam quæ dira negant pendentes Arbore sacras  
Fata comas, aut iussa Deum consumere morfu?  
Attrectare nefas tandem quis futilis Autor  
Suaferit hoc factus, quis vos malus abstulit error?  
O miseros, rerum vobis pars altera adempta est.  
Tolle moras, sacras fatali ex arbore frondes  
Ne dubita temerare manu, nec dicta morentur  
Te superum, vestris hos rebus defuit vnum.  
Dixerat hæc, pressoque ferox obmutuit ore.  
Illa sub hæc quis te confidentissime nostras  
Iussit adire domos? quæ tanta audacia menti?  
Mene Deum ramos lædare, & lædere factus  
Sponte jubes audax, mene huic confidere monstro  
Consortemque thori credam? pellacius isto  
Vate quid? ut cæcas ficto sub pectore fraudes  
Nectit, & hoc blandus tentet fraudare decore?  
Quid petit infelix? non est nos fallere cuiquam  
Et jam desine velle, Deum præcepta secuti  
Has veneramur opes superum, discerpere morfu  
Copta nulla data est, nescis ah perditæ nescis  
Hoc scelus, & culpam hanc natorum morte piandam.  
Tunc sic orsa loqui fatalis ab arbore pestis:  
Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures.  
Vana superstitio vos tanto in munere rerum  
Hoc subijse jugum, quibus ulli imponere leges  
Fas erat, aut aliquo constrictos jure teneri.  
Qui vos casus agit? quæ deinde pericula rerum.  
Servitij rerum Dominos expendere damna?  
Heu mihi quo miseros recto ignorantia duxit  
Tramite? pro quantum male provida pectora cæcæ  
Noctis habent, causasque boni tentare latentes  
Non valeant? quæ tanta hominum dementia menti est?



Quod te per superos per conscia numina veri,  
Per (si quæ est quæ restat adhuc vati mihi virgo  
Intemerata fides) oro ne nostra recuses  
Dicta sequi. Si prima sacros decerpere fatus  
Admonitis tentare horres iussisque Deorum?  
Autor ego audendi sacrata resolvere jura.  
Me sequere & pulcra te in liberate reponam.  
Sic ait, & dicto citius quod lege tenetur  
Abripit, & fædat, turpique recondit in alvo  
Vipereum inspirans animum, tandem ipse revulsam  
Partem offert audax, hortaturque improbus vltro  
Impavida ore vorat, det poma negata marito.

Quid faciat nunc iussa patris prædictaque torrent  
Fata, comæ riguere metu, vox faucibus hæsit.

Dij prohibete nefas, Dij talem avertite pestem  
Et placidi servate pios, minus apta suo mens  
Officio, tremulæque manus, vix munera Pestis  
Rapta manu invisæ cælo & mortalibus ægris  
Sustinuisse valent, vultusque repente sub imam  
Ramus humum cecidit nulli violabile lignum.  
Nunc huc ingentes curas nunc dividit illuc  
In partesque rapit varias perque omnia versat.  
Arripuit tandem temeraria, fertque marito  
Poma suo, ille avidus rapit, & crudelis in alvum  
Ingerit, & dapibus demens epulatur opimis.

Extemplo subit chari genitoris imago  
Fallacem vatem dirum execraatur & ausum,  
In felix ADAM nunc te fata impia tangunt.

Ast illi diversa metu per gramina passim  
Diffugiunt, sylvasque & sicubi concava furtim  
Saxa petunt, tædet cæli convexa tueri,  
Tum jubet error iners velari pectora fronde.

Postera jam summos spargebat lumine montes  
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt  
Solis equi: lucemque elatis naribus efflant.  
Et pater omnipotens alto prospexit Olympo  
Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes  
Littoraque, & rerum formas, sic vertice cæli  
Constitit, & læsis defixit lumina ramis  
Agmina sparsa videt nullo custode vagari.  
EVAM ad se SOCIVMq; vocat dehinc talia fatur:  
Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri  
Arboris ut liceat nostro sine Numine fatus  
Dictorum immemores crudeli absumere morsu?  
Quos ego, sed tantos præstat componere motus  
Post mihi non simili pænâ commissa luetis  
Maturate fugam, totoque absistite luco.

At tu quæ non dum Lucinæ experta labores  
Eva graves, nec adhuc te aliquo discrimine casus  
Egerat, ah quoties partu dabis improba prolem  
Ibis in extremos, & aperta pericla, dolores.

Te quôq; digna manent tantarum immissa malorum  
Exitia, æthereos licuit cui carpere fructus,  
Quæ tibi sponte dabat cui summa potentia fragum  
Diva eadem farris tibi sponte negabit acervos.  
Blanda nec excipiet vos indulgentia cæli.  
Exercebis humum rastris, & vomere curvo  
Infelix, sterilem donec fesso ossaque & artus  
Perfundet toto proruptus corpore sudor.  
Hinc te ferte citi, quæ vos à stirpe parentum  
Prima tulit tellus, eadem vos auferet vltro.

Tu quoque qui miseris pestem meditatus acerbam es  
Improbe, dira lues, neque me sententia vertit

C

Supplicia,

Supplicia, & p̄nam hanc æterna morte piabis  
Nam neque tollere humo caput, aut convexa tueri  
Aetheris, aut poteris tenues ~~se~~ ferre sub auras.  
Dexerat, & Nemorum saltus duro obice firmat  
Et procul ex oculis evanuit aere sepnus.

Mox variæ errumpunt pestes, ruit aspera Erynnis  
Cui multi informes surgunt pro crine colubri,  
Et Furæ, & malefvada fames, & turpis egestas,  
Livor, & ambitio, atque annis effeta senectus,  
Auri sacra fames, fraus impia, crimina Martis,  
Et vetitæ flammæ, & fratrum discordia demens  
Qua data porta ruunt, contactuque omnia fadant.

Ille autem tenera velatus corpora fronde  
Migrat inops, paribus sequitur vestigia curis  
Iuncta COMES lateri, dicuntque novissima verba  
Inviti, & dirum scelus execrantur, & ausus.

Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo  
Tristis Adam, tremulo rupitque has pectore voces:  
Mene igitur tantis exceptum casibus HEROS  
Abjicis? & tanto, p̄narum mole fatigas  
Pro scelere? & caput hoc damnatum ad Tartara mittis?  
Ah ubi nunc concessit honor? quo pulsa recessit  
Gratia? munera, quo & Divum clementia cædunt?  
O crudele nefas, quis memè in pristina reddet  
Gaudia? quisve iterum Divum me in regna reponet  
Perdita? quis raptos tandem mihi reddet honores?  
Legibus anne iterum paribus me in fœdera sacra  
Mittere nunc licet? atque novam reparare salutem?  
Heu quæ nunc tellus miserum, quæ me æquora possunt  
Accipere? aut quid jam misero mihi denique restat?  
Cui neque apud superos quisquam locus, in super ipsi  
Ob scelus infenti p̄nas cum sanguine poscent,

Prændite me si qua est pietas, in me omnia saxa  
Conjicite o montes, me facta absumite strage.

At tu magne parens cuius mihi dicta manebant  
Irrita, (quid melius quaram?) misere, tuoque  
Invisum hoc detrude caput sub tartara telo  
Quando aliter nequeo crudelem abrumperè vitam.  
Iamque aderit subito canis hirsuta capillis  
Mille trahens spreto damna intolerenda senectus,  
Fata minabuntur tetram mihi dura ruinam.  
Qui me casus habet nostros habet ille nepotes,  
O me infelicem, tenues lamenta sed auræ  
Omnia diserpunt & nubibus irrita donant.

Tu mihi fida veni conjux, te pectore toto  
Accipio: & comitem casus amplector in omnes.  
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus.  
Dixerat, & largis humectat pectora guttis,  
Et studiis male fvada famis discrimina pellit.  
Nec mora producto partu sub luminis auras  
Innumero, sequitur quondam pars vna laborum  
Eva parens Socij caput horum & causa malorum.

Panditur iaterea do.nus omnipotentis olympi,  
Cosiliumque vocat Divum pater atque hominum Rex  
Sydeream in sedem, terras vnde arduus omnes  
Spectat, & æquoreos tractus, camposque liquentes  
Confidunt tectis radiantibus, incipit ipse:

Cælicolæ nostro quoniam spes pectore fixa  
Versa retrô, & captus rami infelicis amore  
Fraudeque pellectus nos jam delusit Alumnus  
Degener, æternos cui nos promissimus annos.  
Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta.  
Omnia quæ nostro sub vertice, quæve sub imo

Aequore nata latent, pecudum & genus omne ferarum  
 Progeniemque omnem venturam in luminis auram  
 Perdam, & quod superest infesto fulmine morti  
 Sic placitum mittam, o vltimam non ætheris haustum.  
 Exciperet Divum contemptor fæderis Adam.  
 Nusquam tuta fides, nostræ sub tegmine formæ  
 Excepi genitum, regni que in parte locatum  
 Sublimem ante alios vexi super æthera Regem.  
 Omnia sub pedibus vertique regique videbat.  
 Vos vetiti rami testes, saltusque superbi  
 Immisæque feræ Nemori, vos flumina testes  
 Quattuor aduerso labentia flumina tractu,  
 Sed cadat ante diem mediaque in humatus arena,  
 At vos Cælicolæ styrypem & genus omne futurum  
 Exercete odiis, hæc munera mittite nobis:  
 Præterea nec amor populis nec fædera sunt.  
 Iuppiter hæc paucis: illi obstupere silentes  
 Conversique oculos inter se, atque ora tenebant  
 Aligerum longo stantes ex ordine turmæ,  
 Continuo ventis surgentibus & freta Ponti  
 Incipiunt agitata tumescere, & aridus altis  
 Montibus audiri fragor, & resonantia longe  
 Littora misceri, & nemorum increbescere murmur,  
 Et fusca involui tristis ferrugine Luna,  
 Impiaque æternam timuerunt secula noctem.  
 Ingemuit polus, & terræ ingemuere cavernæ.  
 Nam pater omnipotens calida succensus ab ira  
 Omne adeo genus in terris molemque triformem  
 Perderet, & flammis gentem submitteret omnem.  
 Ni P I E T A S comes, & CLEMENTIA, quæve sub imo  
 Pectore fixa jacet gratum M I S E R A T I O nomen,  
 Quam D E V S ante alias comitem sibi legit amicam

Fleteret, atque haustas leniret pectore flammæ  
 At prior iratum scissâ sic veste parentem  
 Alloquitur tristes vix ausa attollere vultus.  
 Iuppiter omnipotens si nondum exosus ad omnem  
 (Namque aliud quid sit quod iam implorare queamus?)  
 Mortales, si quid pietas antiqua labores  
 Respicit humanos, æstus da evadere cordi  
 Nunc. Pater: & tenues miserum res eripe letho.  
 Cernis ut informem expectet genus omne ruinam.  
 Aspice & hæc manuum te quæ, monumenta tuarum  
 Ad særos mittant nunquam peritura nepotes.  
 Si sedet hoc animo, neque te sententia vertit  
 Nulla tua genitor mansura est gloria Laudis.  
 Rejice ne miseros queis pronam ad crimina mentem  
 Sors dedit, & pulchræ tardos virtutis amores.  
 Cæra velut rapido ferventis Solis ab æstu  
 Diffluit in morem sui quem bruma coegit  
 Frigore: sic illi properant non segnius omnes  
 In vitia, & subitas (sic forte volente) ruinas  
 Mitte iras, liceatque iterum componere fædus.  
 Magne parens, laudem feret hæc tibi fama perennem.  
 Hæc vbi dicta dedit, flammato pectore Virgo  
 Cui neque fas violare licet, nec fallere quenquam,  
 Re vacuum, ac opibus plenum sine munere munit  
 Lumine cassa manet, nec donis fallitur vllis.  
 IUSTICIAM à justis deducto nomine dicunt  
 Improvisa, animo virgo implacabilis, æquo  
 His Regi ante oculos sese cum vocibus offert  
 Acta furore gravi, durisque affata priorem  
 Principio dictis. Quid me alta filentia cogis  
 Rumpere? & obductum verbis vulgare dolorem?  
 Mortalem Adamum quæquam Divum ne subegit,

Arboris in medio frætu non parcere luco?  
 Crudelem aut hostem Regi se inferre superno  
 Improba? quid superos quid provida pectora turbas?  
 Tum decuit meminisse ADÆ, cum flesteret orbem  
 Imperio vitijs vacuus, nunc sera querelis  
 Haud justis assurgis, & irrita jurgia jactas.  
 Illa ego sum IVSTI moderatrix maxima VIRGO  
 Quam neque pauper egens precibus, nec Dives opum vi  
 Subvertit, justis justam me præbeo, & omne  
 Legis opus tratinæ (ceu fas) examine penso.  
 Hanc ergo causam justa æquâ pondero lance.  
 Continuoque oculos Regis detorquet ad ora  
 DIVE tot in cassum fusos patiæ labores?  
 Et patet indignum occasum luci, atque ruinas  
 Ingentes rerum, nullo perferre dolore?  
 Quod lex æqua jubet molire, nec improba mentem  
 GRATIA, quæve animos MISERATIO laxat iniquos  
 Occupet, atque dolo fallaci imponere tentet.  
 Invisum hos detrude caput sub tartara, flammis  
 Hic ubi styx perfusa sonat, sic IVRA mere.  
 Talibus orabat VIRGO, multique fremebant  
 Cælicolæ assensu vario, ceu flamina prima  
 Cum deprensa fremunt sylvis & cæca volutant  
 Murmura: venturos nautis prodentia ventos.  
 Altera successit summo Iove nata puella  
 Tristior, & lacrimis commotum affatur obortis.  
 O pater o hominum Divûnque æterna potestas,  
 Quid tanto irarum ment fervida fluctuat æstu?  
 Nec modus ullus erit flammis? non aspera cedent  
 Supplicia? illa sacro tandem inclementia cælo est?  
 Nec sperare aliquam speretis mortalibus horam  
 Quæ positura modum pœnis est das? neque tantis

Casibus exceptos vitæ melioris origo  
 Spesque manet? misere pater si debita posco  
 Munera, ne liceat magni monumenta laboris  
 In chaos antiquum tantarum in turbine rerum  
 Confluere, & tantum flammis abolere decorem.  
 Purpureos vetita sædarint arbore frætus  
 Maius adorta nefas licet hæc, audacius ille  
 Frægerit, atque dapes pomi dulcedine, ventre  
 Condiderit, cæptos jam sed dimitte furores.  
 Effice si precibus si quid PIETATE meremur.  
 Aut aliqua miserum tandem lenire dolores  
 Spe subeat, sic mœsta suo fert pectore voces.  
 Atque illam tales jactantem pectore curas  
 Aspiciæ, & lacrymis oculos suffusa nitentes  
 Cui tribuant superi placidum MISERATIO nomen  
 Ail: uitur tandem, o qui res hominumque Deûmque  
 Aeternis regis imperijs & fulmine terres  
 Quid tuus e vili quem munere pulveris haustus  
 Passus es æthereos libare, atque ore referre  
 Cælicolum vultus in te committere tantum?  
 Aut alij ponere, quibus tot funera passis  
 Cæli aditus, quondam promissaque munera rerum  
 Tolluntur, miserumque retro spes versa recurrit?  
 Certe hinc terrigenas olim volentibus annis  
 Hinc fore ductores primævi à sanguine Adami  
 Polliticus, Genitor quæ te sententia vertit?  
 Mens tua ne in sævos ruat acta repente furqres.  
 Quo tua sancta fides? quo cura antiqua tuorum?  
 Consilia in melius referas, mecumque fovero  
 Res hominum clemens, misere indigna tuorum  
 Funera, sitque immane nefas, sitque aspera culpa,  
 Sit damnatum crudele datum, quod senior ætas  
 Tollere, vel nulli valeant reparare Nepotes.

At tamen humanas propius res aspice **CLEMENS**  
Nam quo quisque magis pœnis se involait iniquis,  
Numinis hoc magis est, lapsis succurrere rebus  
Dum petit è supera, falsis erroribus arce  
Auxilium, & fixam spem Divûm in Numine ponit,  
Pectore si rigida sententia tetrica legis  
Pressa manet, comites multum nos despicias asper.  
Est rigidam quædam legem mollire voluptas.  
Gratia si nulla est primis cultoribus horri  
Nullus amor miseris (quod Dii prius omen in hostes)  
At saltem incolumes liceat superesse Nepotes.

Tum pater omnipotens rerum cui summi potestas  
Infit, eo dicente Deûm domus alta fiescit  
Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther.  
Tum Zephyri posuere premit placida æquora pontus.  
Ac primum ante alias Iratam hac voce salutat:  
**VIRGO** animos depone tuos, captumque furorem.  
Non ea vis superis, neque enim fas perdere quenquam.  
Dum novus ætus erat subter præcordia, flammis  
Promissi iratus totam cum semine gentem  
Phlegæo stygias detrudere fulmine ad umbras  
Sed nova jam liceat componere scædera, tandem  
Mollius humanis sit fas mihi condere rebus  
**Ius, SCÆLVS HOC DIVVM EST INDIGNA MORTE PLANDVM.**  
Obstupere animi gelidusque per ima cucurrit  
Membra tremor: cui fata parent quem **NUMINA** poscant.  
At pater æthereus multis hortatibus actus  
Hæc responsa refert, & fatis ora resolvit.

Qui mare qui terras qui cœli sustinet oibes  
Et mecum omnipotens vilo sine fine sine ortu  
Exiit, humanæ cuius sub Numine res sunt  
Nostrum opus, at minor haud in numine, nec prior ævo

Me genitore suo est, nec quisquam est altior illo  
Et me Patre suo, nec tertia **FLAMMA** minore  
Maestate manet, nexu vno jungimur omnes.  
**FILIVS** hic inquam tractus descendet in imos  
Æthere delapsus telluris, & omne subibit  
Mortales fuerit postquam collectus in artus  
Supplicium, & culpam hanc miserorum morte piabit.  
Mox tamen aërias victor redivivus in auras  
Ibit ubi ternos aurora reduxerit ortus.  
Desinit hic iudex, & **NATVM DESTINAT ARÆ.**  
Assensere omnes, & quæ sibi quisque timebant  
Vnius in miseri exitium conversa tulere.

Aligerum interea alloquitur: dehinc talia mandat  
Vade age, voce vocat Zephyros, & iabere pennis  
**HEROID** AMQ; citus quæ nunc cui **FLORES** honores  
Et **VIRGVLTA** ferunt nomen patria **VRBE** moratur,  
Quæve datos fatis partus non respicit almos.  
Alloquere: & celeres defer mandata per auras:  
Non illam nobis talem promissimus olim,  
Sed fore quæ gravidum imperijs, sacrisque potentem  
Afflatumque aura nostri omnipotentis **AMORIS**  
Fæta Deo generet, genus alto à sanguine David  
Proderet, ac orbi peperisset Virgo salutem.  
Dixerat, ille patris magni parere parabat  
Imperio: & primum pedibus talaria nectit  
Aurea, quæ sublimem alis sive æquora supra  
Seu terram: rapido pariter cum flamine portent.  
Iamque citus volat & rapidis secat æthera pennis  
Vt primum alatis tetigit magalia plantis:  
Illam inter sacros meditantem carmina libros  
Conspicit, at virgo rosea cervice refulsit

D

Ambro-

Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem  
 Spiravere, pedes vestis defluxit ad imos.  
 Atque illam sacras volventem pectore curas  
 Continuo invadit, tu nunc IESSEIA virgo  
 Divinos meditare modos, pulcrumque sub imo  
 Mente revolvis opus rerum haud oblita tuarum.  
 O grata ante alias Heroidas vnica Divis.  
 Dis genita & genitura Deum salve inclita Mater.  
 Obstupuit, subitoque tremor novus occupat artus  
 Argentes, riguere comæ, & vox faucibus hæsit  
 Atque acie Divum referentem oracula mitis  
 Suspicit, & multum in dictis stupefacta moratur.  
 Nuncius his meventem & plurima mente moventem  
 Parce metu cælo toti acceptissima virgo  
 Ipse DEVM tibi me claro dimittit Olympo  
 Regnator: cælum & terras qui numine torquet,  
 Ipse hæc ferre jubet celeres tibi dicta per auras  
 Ne dubita ingentem partu dabis optima prolem  
 Imperium Oceano famam quæ terminet astris.  
 Progeniem Patris summi secla omnia dicent  
 Cui magnum surget nomen de nomine IESV  
 Propterea multis quondam feret ipse salutem.  
 At subito (neque plena fides sibi visa ministri  
 Aligeri) festos quæ nullos Virgo Hymenæos  
 Egit, ut hæc tandem vitæ sub luminis auras  
 Solvat onus, tenui nunquam quod ventre gerebat?  
 Aliger hæc roseo cæli super addidit ore  
 Omnipotens FLAMMA, & LVMEN spirabile factum  
 Excipiet, gravidamque suo te afflabit honore  
 At Virgo Helizabem consanguinitate propinquam  
 Aspice, quam sterilem gelidus tardante senecta  
 Sangvis habet, frigentque effæta in corpore vires.

At tamen ingentem prolem nullo ægra dolore  
 Proferet in fæcunda prius nunc prole beata.  
 Et dubitamus adhuc nullo qui semine mundum  
 Condidit in cunctas se posse extendere vires?  
 Olli (sensit enim non ficta mente locutum)  
 Sic contra est ingressa iterum, quis talia demens  
 Abnuat? aut magnis malit contendere Divis?  
 Si modo quod memoras factum fortuna sequatur?  
 At sedet id superis, nec me sententia vertit.  
 Tunc Patris ætherei stellata in veste minister  
 Mortales visu medio sermone reliquit,  
 Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.  
 Forte recognoscens qui tunc ditione premebat  
 Ausoniam, & placidas orbis flectebat habenas  
 Romulidum Augustus populos numerare jubebat:  
 Tunc quoque cui molles canebar sparsa senectus  
 Per crines ibat, Nazarena ex vrbe profecta  
 Sponsa comes sequitur, solito ut de more Iosephus  
 Vnde genus ducit sese quoque civibus Vrbi  
 Infereret, nomenque suum nomenque suorum,  
 Interque propinquabant colli qui proximus Vrbi  
 Imminet, & summi ascendunt fastigia montis  
 Vnde omnis superum celeberrima Bethla videri  
 Prole nova potuit, nullo cum Virgo dolore  
 Molliter exposuit pondus quod ventre latebat,  
 Ecce autem subito mulcentes æthera cantu  
 Aligeri apparent cæli sine corpore alumni,  
 Et procul in summis pendentes syderis oris  
 Expediunt alto missum genus æthere terris.  
 Custodi pecorum, & cur sus detorquat ad urbem  
 Vicinam hortantur, puerumque in stramine quærant.

Hi capti novitate sacræ qua fert via Bethlæ  
Effusi vento similes iussa arva salutant,  
Et tenui in stipula (quis talia speret?) igitum  
Cernebant Regem, stupifactique ora tenebant.  
Hinc asinum, atque bovem tepido flatum ore vomentes  
Aspiciunt, sortemque novi indignantur acerbam  
Regis. At en tenues cælo delapsa per auras  
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit  
Hinc atque hinc Reges parva ad cunabula Christi  
Quæ rapit aurum thus mirham sacra dona ferentes.

Hæc est illa dies niveo signanda lapillo  
Qua mortale genus grave olentis faucibus Orci  
Ereptum aseritur vitæ, cæloque locatur.  
Salve parve puer Patris omnipotentis imago.  
Salve quo nigri duce sæva potentia Regis  
Vista jacet, pedibusque diu compressa quiescit.  
Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri  
Irrita perpetua solvent formidine terras  
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.  
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.  
Iam redet & virgo, redeunt Saturnia regna.  
Iam nova progenies cælo demittitur alto.  
Aspera tum positae mitescunt secula bellis,  
Cana fides, pacisque comes concordia dulcis  
Iura ferunt, diræ ferro & compagibus arctis  
Claudentur belli portæ, furor impius intus  
Sæva sedens super arma & centum vinctus ahenis  
Post tergum nodis fremit horridus ore cruento.  
Salve iteru divine puer decus addi te divis  
Ferte citi flores pueri, date lilia, parvas  
Errantes hederas circum vndique sternite cunas  
Mixtaque ridenti colocalia fundite acantho.

Ecce quid hoc? tenues quæ nunc lamenta sub aures  
Casus agit? quid luctus? & actus ad æthera clamor?  
Quid pavidae tectis matres ingentibus errant?  
Amplexaque tenent fætus: atque oscula figunt?  
Orantes veniam, & templum clamore petentes?  
Quod genus hoc Martis, quæ tristia funera specto?  
Heus fuge virginæi custos Iosephe pudoris  
Heu fuge Virgo parens teque his cita surripe tectis:  
Ardentes clipeos atque tra micantia cerno,  
Herodem ante alios metuentem fascibus, alium  
To solam & Natum crudeliter ense petentem.  
Heu mihi quot pueri, matrum quot ab vberibus rapti  
Supplicia expendunt, vitasque in sanguine fundunt?  
Felicis animæ quibus ipso in limine vitæ  
Contigit oppetere, & ranti pro nomine Regis  
Obiectare neci caput, & succedere pugna  
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

At te parve puer magnum Iovis incrementum  
Quis casus tot acerba jubet tormenta subire?  
Heu sortem invisam, vix prima in cæperat ætas  
Vix matrem duræ miserantem incommoda vitæ  
Novisti, cum mox caput obiectare periculis  
Exiliumque pati, Rege infestante cruento  
Cogeris, & varios casus, vitæque labores  
Et quæcunque solent curæ mortalibus ægris  
Insultare animo nullo discrimine ferre.  
Te Regem indigne glacialibus aspera ventis  
Lactat hyems, cantu nec flet scelus Attica pellex  
Quo sortis mala damna levet, mœstamque querelis  
Matrem indulgentem tandem soletur amicæ.  
Interea proceres stertunt Rex ipse superbus  
Militæque cohors. lautis convivia mensis.

Instituunt, noctis fallunt sermonibus horas.  
Crateras magnos statuunt & vina coronant.  
Fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant  
Atria, dependent lichni laquearibus aureis  
Incensi, & noctem flammis fumalia vincunt  
Et crapulam exhalant alij, oblique priorum  
Restaurant mensas, & Bachi numen adorant.  
Hinc posito duras ducunt cratera choreas.  
Inque repentinos convivia versa tumultus  
Assimulare freto possis, quod saxa quietum  
Ventorum rabies moris exasperat undis,  
Noctes atque dies dulci non lumina somno  
Declinant, multo iuvat indulgere Lyzo.  
At circum innumeræ gentes clamoribus urbem  
Impediunt, speret tu pauper & omnibus vnus  
Invisus puer, o nostra circumdate carne.  
Quem mare quem tellus, vacuæque patentia tractus  
Atria, nec capit immensi plaga lucida cœli.  
O stolidas hominum mentes, o pectora cæca,  
Huc tandem mi seri ingratos convertite vultus  
Discite nosse novum R E G E M cui maxima parent  
Sydera, qui mundum meliore in sorte reponit  
Barbare, qui pueris strictos infantibus enses  
Indignans offers, & vos male credula turba  
Levigenæ securi, Epicuri & de grege porci.



Ex martiale.

**N**ON ego supplicibus tentabam Numina votis  
In nostros mittant fulva metalla sinus.  
Sat mihi namque datum est, paucis dum lætus, in v sus  
Divido rem, solus cætera dives habe:

At jam paupertas veniam dabis, acta recede.  
Forte tibi voti causa notanda novi est?  
Informem lethi nodum trabe necstat ab alta  
Zoilus, hæc animi sunt nova vota mei.

I. H. C.



Excussum Pragæ

IN OFFICINA TY-  
pographica Iohannis  
Schumani.

Anno M. D. xcii.

Si quis inest error nostris in versibus, illum  
Librari, haud nostrum, Lector amice puta.



EXODI  
 GENERIS HV-  
 MANI EX IMPO-  
 TENTI IMPERIO DIA-  
 BOLICAE TYRANNIDIS,  
 PARS PRIOR, ME-  
 DITATA

à  
 Nicolao Pelargo Raconæo.



PRAGÆ

In officina Typographica Iohannis  
 Schumani.

Anno M. D. XCI,

